Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1002
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



142
159

Domine dominica prima post octa pentec.
In te domine speravi non confundar in eternum: in iustitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuam accelera ut eruas me. Esto mihi in deum protectorem et in locum refugii ut saluum me facias. Quoniam fortitudo mea et refugium meum es tu. Et propter nomen tuum deduces me et enutries me. In manus tuas commendabo spiritum meum redemisti me domine deus veritatis. Ps. Exultate iustitiam in domino laudate eum omnes recti corde. Gloria patri. Deus in te sperantium fortitudo ad esto propitius invocationibus nostris et quia sine te nihil potest esse validum: tuam misericordiam prestare dignare ut legem salutis tue sectantes et tuis mandatis obedientes et voluntate tua et actione placeamus. Per.
Lectio Iohannis apostoli i c.
Karissimi deus caritas est. In hoc apparuit caritas dei in nobis: quia filium suum unigenitum misit deus in mundum ut viuamus per eum. In hoc caritas est non quasi nos dilexerimus deum sed quoniam ipse prior dilexit nos et misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris. Karissimi si sic deus dilexit nos: et nos debemus in vicem diligere. Deum nemo vidit unquam. Si diligamus in vicem: deus in nobis manet et caritas eius in nobis perfecta est. In hoc intelligimus quoniam in eo manemus et ipse in nobis: quoniam de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus et testificamur: quoniam pater misit filium suum saluatorem mundi. Quisquis confessus fuerit: quoniam ihesus est filius dei. deus in eo manet et ipse in deo. Et nos cognouimus et credimus caritati quam habet deus in nobis. Deus caritas est. Et qui manet in caritate: in deo manet et deus in eo. In hoc perfecta est caritas nobiscum. ut fiduciam habeamus in die iu-